

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVIII - N. 1

2006

COMMUNICATIONES
PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

JUNII 2006

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administratos Advocatosque Rotae Romanae coram admissos 28 ianuarii 2006	3
--	---

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSLII SUBMISSAE	7
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDOSIS	9
NOTA circa la natura giuridica e l'estensione della «recognitio» della Santa Sede	10

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS Rescriptum ex Audientia	18
TRIBUNAL ROTAE ROMANAЕ Allocutio ad Summum Pontificem Exc.mi Decani Tribunalis Rotae Romanae occasione Audientiae diei 28 ianuarii 2006	20

**EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO**

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio I)	23
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio II)	61
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio III)	118
NOTITIAE	156
OPERA A CONSLII BIBLIOTHECA RECEPTA	157

COETUS STUDII
«DE PROCESSIBUS»

Sessio III^a

(diebus 23-27 octobris 1967 habita)

Diebus 23 ad 27 octobris 1967, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. «De processibus».

Conventui intererant Exc.mi DD.: Aurelius Sabattani, Relator, Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Damizia, Josephus Pinto, Stephanus Kelleher, Georgius Bateh, Josephus De Castro Nery et Ioannes Barry; Rev.mi PP.: Christophorus Berutti O.P. et Eduardus Regatillo S.J., necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis et Rev.dus D. Franciscus Voto, actuarius.


Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

Quaenam sint recognoscenda scilicet mutanda, addenda vel suppri- menda:

- 1) in normis de introductione causae (Tit. VI, cann. 1706-1725);
- 2) in normis de litis contestatione (Tit. VII, cann. 1726-1731);
- 3) in normis de litis instantia (Tit. VIII, cann. 1732-1741);
- 4) in normis circa interrogaciones partibus in iudicio faciendas (Tit. IX, cann. 1742-1746).

Omnes Consultores de quaestionibus propositis vota paraverunt, supra quae Exc.mus Aurelius Sabattani Relationem apparavit manifestando sententiam quam quisque Consultor in suo voto expresserat.

Rev.mus Secretarius tantum 1^{er} et 7^{er} adunationi adfuit; ceteris adunationibus absens fuit quia laboribus Synodi Episcoporum intererat. Ergo Rev.mus Relator in hac Sessione functus est simul munere Praesidis ac Relatoris.



Adunatio I^a
die 23 octobris 1967 mane habita

Rev.mus Relator introducit quaestiones tractandas iuxta ordinem a Secretaria Commissionis propositum.

Rev.mi primus et secundus Consultores, qui prima vice labor huius Coetus intersunt, quaestionem praeiudicialem faciunt utrum conveniat actuale examen Libri IV de processibus prosequi ratione qua hactenus habitum est, vel potius statim conficiendus sit ordo processus matrimonialis. Fere enim omnes causae quae in nostris tribunalibus habentur sunt in re matrimoniali; ergo primo et ante omnia labor huius Coetus versari deberet circa processum matrimoniale.

Longa discussio habetur inter Consultores circa partem generalem de ordine processuali in iure canonico, qui veluti genus omnium processuum habeatur; circa varias processuum species, scilicet contentiosi, criminalis, administrativi, matrimonialis; circa methodum qua melius normae, sive quae generales sint, sive quae singulis processuum speciebus sint propriae, enucleari possint, ratione tamen habita de statu laborum aliorum Coetum Commissionis.¹

Quaestio illa praeiudicialis denuo proponitur a Rev.mis primo et secundo Consultoribus cum Rev.mus Relator primam quaestionem examinandam proponit Consultoribus de modificatione scilicet inscriptionis tituli « De causae introductione » iuxta votum Rev.mi tertii Consultoris. Proponitur enim sequendam esse divisionem quam habet Codex Orientalis, id est: « Pars II: De iudicio contentioso — Sectio I: de iudicio contentioso in genere — Cap. I: de causae introductione ».

Circa quam rem Rev.mi primus et secundus Consultores dicunt non posse introduci divisionem Codicis Orientalis quia nos alias species processuum habebimus et postea divisiones faciemus.

Rev.mus quartus Consultor proponit hanc divisionem:

- I. De processu in genere
- II. De processibus in specie
 - a) de processu contentioso

¹ Quaestio praeiudicialis a Rev.mis primo et secundo Consultoribus mota, saepe rediit, in decursu laborum huius III^a Sessionis eidemque quaestioni tota discussio 7^a adunationis dicata est. Quoniam autem de quaestione ipsa specialis ratio habebitur in proxima Sessione, omittuntur in hac relatione discussiones ad illam pertinentes.

- b) de processu criminali
- c) ...
- d) ...

Maior pars Consultorum tamen censem quaectionem de divisione prae-maturam esse et proponit ut *pro nunc* acceptetur divisio Codicis Orientalis; postea videbitur.

Omnes consentiunt.

Rev.mus Relator proponit aliam quaectionem praeviam: servari debet vox «libellus»?

Rev.mus quintus Consultor vellet hanc vocem tollere (quia ethimologice est ambigua) et ponere «petitio», eo vel magis quod admittitur *petitio* oretenus facta.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «de petitione introductoria» ad hoc ut oralis petitio in capite etiam comprehendatur, ne nigrum latius pateat quam rubrum.

Alii Consultores notant usum vocis «libellus» consecratum esse per proxim saeculorum; ceterum, dicit Rev.mus septimus Consultor, etiam de petitione oretenus facta praescribitur ut scriptis actum redigatur; ergo non potest argui a petitione orali pro abolenda voce «libellus».

Tandem omnes consentiunt pro servanda voce «libellus».

Can. 1706 (novus)

Multi Consultores volunt hic ponere canonem quo incipit idem caput in Cod. Or. (can. 226), nempe: «Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum, proposita sit ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae».

Nam deficiente parte actrice, deficit iudicium. Eadem norma iam exstat in CIC (can. 1970) pro causis matrimonialibus: a fortiori hoc principium declarari debet relate ad omnes causas, quae non semper respiciunt bonum publicum.

Vellet insuper Rev.mus sextus Consultor ut diceretur: «Iudex nullam causam valide cognoscere potest...».

Rev.mus octavus Consultor censem illud *valide* non tantum superfluum verum etiam inopportunum quia praeberet ansam advocatis proponendi causas incidentales.

Quinimmo Rev.mus quartus Consultor vellet quod iudex etiam ex

officio posset intentare causam ad tuendum bonum publicum. Ceterum, notat ipse Rev.mus quartus Consultor, etiam nunc de facto ab Episcopis mittuntur S. Congregationi pro Doctrina Fidei causae quarum partes (pagani) aliquando ignarae sunt. Siquidem normae S. Congregationis pro Doctrina Fidei in posterum publici iuris erunt, huius Coetus erit redigere normas generales de iudiciis quae etiam illos casus comprehendant. Ergo illud *valide* non potest admitti.

Omnis convenientia circa inopportunitatem recipiendi illud *valide*.

Can. 1706 bis (i.e. can. 1706 CIC)

Consultoribus placet ut servetur prout est, contra propositionem Rev.mi sexti Consultoris qui vellet can. 1708 huic canonis coniungere.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut ponatur hic canon novus qui dicat:

«Libellus accusationis a promotore iustitiae ne conficiatur nisi normis antea servatis de quibus in cann. 1939 § 1, 1946 § 2, n.3; 1954».

Notat Rev.mus Relator canonem propositum iudicium criminale respicere, proinde suo loco ponendum esse.

Acceptata enim divisione materiae, saltem provisorie, prout in Cod. Orientali,² nunc agitur de iudicio contentioso.

Rev.mus septimus Consultor convenit cum Rev.mo Relatore.

Can. 1707

Proponit Rev.mus quartus Consultor novam formulam: «Petitio etiam ore, ob iustas causas, coram Tribunal proponi potest; tamen iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus».

Rev.mus septimus Consultor acceptat novam formulam dummodo dicitur: «Petitio etiam *dumtaxat* ore etc...».

Rev.mus Relator proponit ut canon 1707 maneat prout est, mutato tantum verbo «*oretenus*» in «*ore*», prout in Cod. Orientali.

Omnis Consultores convenientia cum Rev.mo Relatore.

Quoad probationem de qua in § 3, quam Instr. *Provida Mater* (art. 56) per signum crucis faciendam edicit (in casu quo actor scribere nesciat) pro-

² Cf. supra p. 2.

ponit Rev.mus sextus Consultor ut potius per impressionem digitalem fiat, quia haec optimum authenticitatis argumentum constituit. Paragraphus 3 ergo ita mutetur in fine: «... ab eo probandus et subscribendus, vel digitali impressione muniendus, si scribere nesciat».

Sed Rev.mus Relator notat usum impressionis digitalis politiam criminalem sapere, quamvis consentiat de ineptitudine signi crucis ad probationem faciendam. Rev.mus Relator proponit ut neque signum crucis requiratur quia notarius fidem facit de iis quae gesta sunt in Tribunali. Proinde nihil dicatur in canone, qui maneat prout est.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut relinquatur Tribunali facultas decidendi pro signo crucis vel pro impressione digitali.

Sed omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Can. 1708

Consultores omnes canonem servare volunt, sed nonnulli proponunt quasdam additiones et clarifications.

a) Rev.mus nonus Consultor proponit quod dicatur: «Libellus... *sit valde brevis*».

Rev.mus quartus Consultor censet quod, si fideliter observentur praescriptiones canonis 1708, iam libellus certo brevis erit. Tamen, notat Rev.mus Relator, commendanda potius erit *concinnitas* libelli quae conferit simul et breviti, quantum fieri potest, et sufficientiae elementorum tradendorum ad partium interrogations.

Omnes concordant cum Rev.mo Relatore.

b) Rev.mus sextus Consultor vult ut in n. I° verba «coram quo» et «quid petatur» melius clarificantur hoc modo: «*coram quo causa introducatur, v. gr. coram Tribunali dioecesano N.*» et «*quid petatur, v. gr. ut matrimonium declaretur nullum et caput vel capita nullitatis*».

Sed notat Rev.mus Relator quod exempla quodammodo maiestatem legis deturpant.

Omnes conventiunt cum Rev.mo Relatore.

c) Quoad n. 2 huius canonis Rev.mus sextus Consultor proponit ut amplificetur his verbis: «Indicetur causa petendi, seu fundamenta facti, designatis testibus, adductis... documentis atque propositis saltem in genere praesumptionum fundamentis...».

Rev.mus quintus Consultor vult quod libellus indicet: «facti et iuris fundamenta, quibus innitatur petitio».

Quoad propositionem Rev.mi sexti Consultoris Consultores opponunt quod non sit necesse illa omnia numerare, eo vel magis quod non in qualibet causa illa omnia exiguntur.

Quoad propositionem Rev.mi quinti Consultoris, Rev.mus Relator nollet illam admittere quia «iura novit Curia» et de facti fundamentis iam sufficienter dicitur in canone prouti iacet.

Rev.mus septimus Consultor tamen proponit quod dicatur: «... quo iure, seu quibus argumentis innitatur...».

Tandem n. 2 ita redigitur: «Indicare summatim et concinne, quibus argumentis innitatur actor...».

Adhibitur verbum «*summatim*» ut in Cod. Orientali.

d) Alii Consultores optant quod libello addantur mandatum procuratorum et commissio advocati.

Sed Rev.mus Relator notat quod haec non semper, non ubique requiruntur; ideo non debent hic exprimi.

Omnes Consultores assentient Rev.mo Relatori.

Adunatio II^a
die 23 octobris 1967 vespere habita

Can. 1708 bis

Proponitur a Rev.mo sexto Consultore:

«Antequam libellus examinetur, iudex sequentes cautelas sumendas curabit:

- 1° Transactionem ad normam cann. 1925-1928;
- 2° Matrimonii convalidationem, ad normam can. 1965;
- 3° Conciliationem inter coniuges in causis separationis;
- 4° Cautionem pro expensis ad normam can. 1909 § 2;
- 5° Cautionem pro iudicato ad normam can. 1626».

Rev.mus Relator notat quod finis intentus per propositum canonem est sane optimus quoad cautions sub nn. 1, 2, 3; minus optimus, quoad cautions sub nn. 4 et 5, quia de pecunia solvenda vel deponenda apud Tribunal loqui debet quam minime.

Statuitiones, de quibus in proposita formula, sunt iam contentae in Codice, sed forsan respondet spiritui pastorali futuri Codicis quod hic colligantur.

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam:

« Antequam libellus iudicialiter examinetur, cum omni ope adnendum sit ut lites in populo Dei vitentur, iudex, prout natura causae sinat, sequentes cautiones sumendas curabit:

I° Transactionem ad normam cann. 1925-1928;

2° Conciliationem inter coniuges in causis separationis;

3° Matrimonii convalidationem ad normam can. 1965 ».

Omnis Consultores admittunt suggestiones et formulam Rev.mi Relatoris, tamen Rev.mum secundum Consultorem sequentes, censem novum canonem poni debere in capite de processu matrimoniali, dempto tamen n. 1, qui, ut notat Rev.mus quartus Consultor, iam habetur in capite de transactionibus.

Can. 1709

§ 1. Circa paragraphum 1^{am} sequentes animadversiones habentur:

a) Rev.mus quartus Consultor proponit quod loco « Iudex » dicatur « Vicarius iudicalis » ut respondeat novae terminologiae in Sessionibus praecedentibus statutae.

Sed Rev.mus nonus Consultor censem servandam esse vocem « Iudex », quia comprehendit etiam casus iudicis delegati.

Omnis assentiuntur Rev.mo nono Consultori.

b) Rev.mus Relator proponit ut dicatur « Tribunal *collegiale* », loco « Tribunal », et addatur: « *iuxta naturam causae diiudicanda* », ut innuatur nullitati reiectionis libelli pronuntiatae a solo iudice quando causa reservata est Tribunal collegiali (S. R. Rotae, 18 martii 1950).

Aliqui Consultores (Rev.mi nonus, octavus et secundus Consultores) superfluam censem specificationem « Tribunal *collegiale* », quia « Tribunal » iam dicit collegialitatem decisionis.

Rev.mus quartus Consultor proponit: « Iudex unicus vel collegium ».

Omnis alii Consultores volunt: « Iudex unicus vel tribunal collegiale ».

Circa autem verba: « *iuxta naturam causae diiudicanda* », comma placet Consultoribus, sed volunt ut melius aptetur his verbis: « *iuxta diversitatem causarum* ».

c) Rev.mus Relator dein sumendam proponit formulam Codicis Orientalis: « et actori legitimam personam in iudicio non deesse », loco formulae magis positivae nunc vigentis: « personam esse », tamquam si requireretur expressa probatio personalitatis iuridicae.

Aliud praescriptum vellet Rev.mus sextus Consultor iudici imponere antequam libellum admittat vel reiciat, ut nempe votum defensoris vinculi vel promotoris iustitiae requirat.

Rev.mus quartus Consultor exigit illum votum quando habetur reiectio libelli.

Consultores censem, cum Rev.mo Relatore, quod nihil prohibet huiusmodi votum aliquando petere, sed non convenit obligationem talem statuere ne procedura longior implicatiorque fiat.

d) Loco « quantocius », proponit Rev.mus Relator ut dicatur « quamprimum ».

Rev.mi quartus et septimus Consultores proponunt praeterea ut terminus, de quo in canone sequenti, anticipetur hic, ita ut dicatur: « quamprium et numquam ultra mensem ».

Omnes Consultores assensum praebent.

e) Tandem Rev.mus sextus Consultor optat quod edicatur admissionem vel reiectionem exigere *decretum* iudicis. Quoad reiectionem, notat Rev.mus Relator, rem iam contineri in ultimis verbis huius paragraphi; quoad acceptationem, cum res non sit explicita, idem Rev.mus Relator proponit ut dicatur: «... debet suo decreto ...».

Omnes assentiuntur Rev.mo Relatori.

§ 1 ergo ita proponitur:

« Iudex unicus vel tribunal collegiale, iuxta diversitatem causarum, postquam viderit et rem esse suaे competentiae et actori legitimam personam in iudicio non deesse, debet suo decreto quamprimum, et numquam ultra mensem, libellum ...».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut per novam paragraphum numerentur causae ad libellum reiciendum.

Sed Rev.mus Relator, aliis Consultoribus consentientibus, putat quamlibet enumerationem taxativam, hac in re, difficilem et periculosam evadere.

§ 2 (can. 1709).

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittatur; sed omnes alii Consultores volunt ut maneat prout est.

§ 3 (can. 1709).

Consultores fere omnes proponunt immutationem iam inductam a Codice Orientali ut dicatur nempe: «ad Tribunal appellationis» loco «ad superius Tribunal».

Tantum Rev.mus nonus Consultor vellet servare «ad superius Tribunal» cum in casu agatur de recursu, non autem de appellatione.

Sed Rev.mus Relator notat Tribunal appellationis semper esse Tribunal immediate superius, proinde melius esse dicere «Tribunal appellationis».

Aliae additiones proponuntur huic tertiae paragrapho, quae Consultoribus non placent:

a) Rev.mus decimus Consultor addere vellet in fine: «exclusa appellatione ad normam can. 1880, n. 7» (cf. art. 66 Instr. *Provida Mater*).

Consultores opponunt in can. 1880, n. 7 sermonem esse de appellatione, non de recursu; item Consultores non accedunt considerationi Rev.mi sexti Consultoris, dicenti nihil impedire quominus quae in can. 1880, n.7 de appellatione statuuntur ad recursum extendantur, cum haec extensio, suo iudicio, necessaria sit.

b) Rev.mus sextus Consultor petit ut exemplaria tum libelli reiecti tum decreti reiectionis in recursum addantur.

Quod Rev.mus Relator censem ad Directorium practicum potius quam ad Codicem pertinere.

Rev.mus sextus Consultor 4^{am} paragraphum proponit quae dicat: «Si tribunal appellationis libellum admittat, causa remittenda est pro eius definitione ad Tribunal a quo» (cf. art. 66, § 2 Instr. *Provida Mater*).

Propositio non placet, quia res evidens est.

Can. 1710

Rev.mus quartus Consultor proponit suppressionem huius canonis, ponendo in canone praecedenti recursum tam pro reiectione quam pro silentio Tribunalis.

Propositio non placet Consultoribus, quia hoc modo defectus disciplinaris (silentium Tribunalis) videretur aequiparari decreto forsan iniusto.

Canon ergo manere debet, quo provideatur casibus silentii Tribunalis. Quomodo autem his casibus *efficaciter* provideri possit, est res quae angit Consultores. Nam recursus ad Tribunal appellationis est fere inutilis cum ipsum Tribunal nihil possit in mera disciplina Tribunalis inferioris, neque valeat efficaciter providere substituendo iudicem ignavum.

Rev.mus Relator proponit ut recursus interponatur ad Ordinarium loci,

vel, si ipse Ordinarius sit iudex, ad Praesidem Conferentiae episcopalis, qui aliquam auctoritatem moralem habet erga Episcopos ipsius Conferentiae.

Alii Consultores proponunt ut recursus deferatur altiori Tribunali, v. gr. Signaturae Apostolicae (Rev.mus quartus Consultor), vel ad Tribunal appellationis (Rev.mi primus, secundus et tertius Consultores).

Formula a Rev.mo Relatore ita proponitur: «... quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia rem deferre poterit tribunalis appellationis quod competens fit ad iudicandum de acceptatione libelli ».

Fit suffragatio:

placet n. 7; non placet n. 3.³

Rev.mus sextus Consultor can. 1710 bis proponit eo fine ut effectus qui in can. 1725 citationi tribuuntur, anticipentur et acceptationi libelli tribuantur.

Rev.mus Relator quaestionem hanc momentosam censem et ad votum ipsius Rev.mi sexti Consultoris remittit in quo rationes, a Cl.mo Bernardini allegatae, exponuntur.

At ipse Rev.mus Relator animadvertisit mutationem hanc non posse introduci nisi res profundissime investigetur. Tandem, ex rationibus in suo voto expressis, Rev.mus Relator mutationem non admittit et cum eo omnes alii Consultores concordes sunt.

³ N.B.: Terminus unius mensis in hoc canone non repetitur cum iam positus sit in canone praecedenti (can. 1709, § 1).

Adunatio III^a
die 24 octobris 1967 mane habita

ART. II

De citatione et denuntiatione actuum iudicialium⁴

Can. 1711

§ 1. Circa 1^{am} paragraphum hae animadversiones habentur:

Rev.mus octavus Consultor unire vellet hanc paragraphum cum can. 1712. Sed alii Consultores nolunt.

Rev.mus sextus Consultor postulat ut potius quam «vocatio in ius» dicatur «vocatio in iudicium», quod omnibus Consultoribus placet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut, admisso libello, citatio sequatur «intra tres dies» iuxta «Codice di Procedura Civile dello S.C.V.».

Rev.mus nonus Consultor ad decem dies et Rev.mus octavus Consultor ad mensem eundem terminum vellent prorogare.

Rev.mo Relatori autem et omnibus aliis Consultoribus placet ut dicatur «quamprimum».

Idem Rev.mus sextus Consultor proponit ut citatio tam necessaria habeatur ut ea deficiente, nec per spontaneam comparitionem sanata, subsequentes processus actus atque ipsa sententia *vitio insanabilis nullitatis* laborent.

Quod non videtur congruum Rev.mis Relatori et aliis Consultoribus ponere, nempe contradictionem apertam cum iure vigenti nullitatem sancibilem, ex defectu citationis, statuenti (can. 1894, 1º), etsi termini quaestio- nis nullitatis sententiae forsan revisendi vel saltem clarificandi sint.

Rev.mus decimus Consultor proponit quod addatur: «... locus est... citationi alterius partis vel eius legitimi procuratoris».

⁴ N.B.: Inscriptio huius Art. II, suggestente Rev.mo septimo Consultore, mutuata est a Codice Orientali ubi loco «actorum iudicialium» dictum est «actuum iudicialium».

Non placet autem Consultoribus suggestio Rev.mi primi Consultoris adhibendi in titulo et in textu vocem «vocatio» loco «citatio». Nam «citatio» est terminus ita specificus et proprius in re processuali ut difficulter mutari possit.

Quae propositio non placet Consultoribus.

§ 2. Circa 2^{am} paragraphum sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus tertius Consultor ex sua experientia dicit verbum «sponte» multas difficultates parere et proponit ut dicatur «*de facto*».

Omnes Consultores consentiunt.

Rev.mi sextus et septimus Consultores dicunt citationem per se respicere tantum partem conventam, ideo paragraphum secundam conformandam esse hoc in sensu per formulam quam Rev.mus septimus Consultor ita proponit: «... significet in actis partem conventam de facto iudicio adfuisse».

Propositio aliis Consultoribus non placet.

Consultores unanimiter censem expungenda esse verba «sponte sua».

Tandem Rev.mus Relator proponit ut duae paragraphi ad unam tantum reducantur.

Sed Consultores volunt duas paragraphos in hoc canone.

Can. 1712

Rev.mus Relator, ex collectis animadversionibus in votis a Consultoribus (Rev.mi primus, quintus, sextus, octavus, decimus et quartus Consultores) propositis, canonem, noviter redactum, ita proponit:

«§ 1. Vocatio in iudicium fit decreto iudicis, vel praesidis vel auditoris, quo mandat ut conventus et alii qui in causa intervenire debent, coram ci- tante compareant ad litem contestandam, designatis tempore et loco com- paritionis.

§ 2. Debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat».

Fit aliqua discussio:

Rev.mus Relator explicat se proponere: «... decreto iudicis, *vel praesidis vel auditoris*», ne teneatur citationem fieri debere per actum collegiale.

Rev.mus octavus Consultor diceret potius «... fit a iudice vel a po- nente...».

Omnes alii Consultores volunt ut dicatur tantum: «... decreto iudicis», et omittantur verba «*vel praesidis vel auditoris*».

Aliqui Consultores notant verba «*quo mandat*» satis imperativa esse ideoque moderanda censem per verba «*quo invitat*».

Rev.mus Relator proponit « quo disponit » et omnes consensum praebent.

Rev.mus septimus Consultor: dicatur « coram Tribunali » loco « coram citante ».

Omnibus placet talis propositio.

Rev.mus quartus Consultor notat quod « alii qui in causa intervenire debent » aptiorem locum obtinent in § 2^a, potius quam in § 1^a.

Omnes Consultores assensum praebent.

Canon 1712 ergo ita redigitur:

« § 1. Vocatio in iudicium fit decreto iudicis, quo disponit ut conveniens coram tribunalii compareat ad litem contestandam, designatis tempore et loco comparitionis.

§ 2. Debet insuper actori aliisque qui in causa intervenire debent notari, ut statuta die et hora ipsi quoque coram iudice se sistant ».

Can. 1713

Rev.mus Relator, rationem habens:

a) de voto Rev.mi decimi Consultoris, qui revocat responsonem Comm. Interpr. de citatione notificanda curatori, non vero mente infirmo et;

b) de voto Rev.mi septimi Consultoris, qui memorat praesentem canonom habere relationem cum cann. 1648-1654, quorum recognitio partim delata fuit ad alias Coetus, censem formulam can. 1713, esse debere valde genericam.

Ideo hanc formulam proponit:

« Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatio denuncianda est, prout casus ferat, tutori, curatori, procuratori speciali, seu ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris ».

Rev.mus Relator meminit Procuratorem specialem esse illum qui tribuitur ab Ordinario in casu de quo in can. 1648 § 3.

Nova formula can. 1713 placet omnibus Consultoribus.

Can. 1714

Rev.mus Relator suggestionem Rev.mi decimi Consultoris acceptat de recipienda in hoc canone additione quam iam recipit Instr. *Provida Mater* in art. 96, et hanc formulam proponit:

«Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can. 1845 § 2. Iudicis tamen prudentiae relinquitur eam iterare, praesertim si ex rationabili causa dubitandum sit utrum citatio pervenerit ad manus citati necne».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur: «quaelibet citatio *per se* est peremptoria...».

Propositio placet Consultoribus.

Rev.mus septimus Consultor, consentientibus aliis, superflua censet verba: «praesertim si ex rationabili causa dubitandum sit, etc...».

Rev.mi nonus et octavus Consultores vellent, una cum citatione, etiam libellum notificare citatis.

Alii Consultores autem nolunt libellum notificari putantes satis esse quod in citatione indicetur «ob quam causam» citentur (can. 1715).

Can. 1715

Placet Consultoribus servare canonem prout est, cum unica immutazione facta a Codice Orientali in can. 237 § 1, seu loco «idest» ponatur «indicans».

Rev.mus decimus Consultor vелlet quod citatio fieret... «ob causam iuridice denuntiatam cum oblatione documentorum, quibus innititur».

Propositio autem non placet Consultoribus.

Can. 1716

Rev.mus Relator proponit ut maneat prout est, ponendo tamen verba «parti conventae» loco «reο convento».

Propositio placet.

Can. 1717

Rev.mus Relator, ratione habita votorum Consultorum et attenta evolutione hodiernae societatis, formulari proponit, quae absorbeat cann. 1717, 1719, 1721 et 1722 hoc modo:

«§ 1. Citationis scheda tradenda est parti conventae per Curiae cursorem, si commode fieri poterit; ea absente, tradi potest alicui de familia vel famulatu.

§ 2. Eadem scheda transmitti semper potest per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.

§ 3. Cursor relationem traditionis schedae subscribat, sive in exemplari parti delato, sive in exemplari in actis servando ».

Habetur discussio inter Consultores qui singula media ad opportuniorum ac securiorem modum traditionis schedae perpendunt.

Ex. gr. Rev.mus primus Consultor suppressere vellet figuram cursoris.

Rev.mus secundus Consultor proponeret formulam generalissimam edicendo citationis schedam tradendam esse parti conventae quocumque modo, secundum locorum leges et conditiones, dummodo ille modus tutissimus sit et notitia receptionis habeatur in actis.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in § 1^a deleantur verba « parti conventae ».

Propositio placet.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut § 3^a his tantum verbis constet: « receptae citationis documentum servetur in actis ».

Propositio placet Consultoribus.

Rev.mus Relator, post discussionem proponit hanc formulam quae omnibus placet:

« § 1. Citationis scheda denuntianda est per Curiae cursorem vel per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.

§ 2. Receptae citationis documentum servetur in actis ».

Can. 1718

Rev.mus Relator proponit ut loco « reus » dicatur « conventus ».

Deinde suggestioni Rev.mi quinti Consultoris accedens, ut nempe pro citato habeatur etiam qui impedit quominus citatio ad se perveniat, hanc formulam proponit quae omnibus placet: « Conventus qui citatoriam schedam recipere recuset, vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat, legitime citatus habeatur ».

Can. 1719

Absorptus est in can. 1717.

Can. 1720

(De citatione per edictum).

Aliqua discussio habetur in qua vota Consultorum perpenduntur circa recognitionem huius canonis.

Sed Rev.mus secundus Consultor merito notat casum citationis per edictum iam includi in can. 1717 praecise per illa verba « vel alio modo qui secundum locorum leges, etc.».

Omnes concordant cum Rev.mo secundo Consultore et can. 1720 sup-primitur.

Cann. 1721-1722

Absorpti sunt in can. 1717.

Adunatio IV^a
die 24 octobris 1967 vespere habita

Can. 1723

Circa recognitionem huius canonis haec proponuntur:

a) Canon reducatur ad formam simpliciorem, id est:

« Si scheda citatoria non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt, etc...» (Rev.mus quartus et primus Consultores).

Propositio haec placet Consultoribus.

b) Addatur § 2^a, in qua dicatur quod «citatio illegitimo modo facta sanatur per spontaneam partis conventae comparitionem».

Ratio est quia citatio, etsi ex defectu nulla, obtinuit finem ad quem natura sua ordinatur, ut scilicet reus sciat actionem sibi intentari (Rev.mus septimus Consultor).

Rev.mus Relator consentit cum Rev.mo septimo Consultore eo etiam quod, ex can. 1894, n. 1°, defectus legitimae citationis producit utique nullitatem sententiae, sed *sanabilem*.

Ipse Rev.mus Relator, tamen, notat quod qualificatio comparitionis partis conventae non est ponenda in *spontaneitate* ipsius comparitionis, sed *in animo interveniendi in iudicio*.

Rev.mus Relator proponit sequentem formulam can. 1723, quae omnibus placet:

« Si scheda citatoria non fuerit legitime intimata ad normam can. 1717, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus. Ast quilibet defectus citationis sanatur per comparitionem partis, factam animo interveniendi in iudicio ».

Can. 1724

Manet prout est, mutatis verbis « pro rei citatione » in « pro conventi citatione ».⁵

Can. 1725

Animadversiones Consultorum respiciunt haec puncta:

a) Substituatur verbum « revera » vel « de facto » pro verbo « sponte » (Rev.mus tertius Consultor).

Rev.mus Relator proponit ut provideatur ad sensum can. 1723, dicendo scilicet: «... aut partes coram iudice stiterint animo interveniendi in iudicio ».

Propositio Rev.mi Relatoris placet omnibus.

b) Clarificetur quibus conditionibus citatio *legitime peracta* habenda sit (Rev.mus octavus Consultor).

Alii Consultores respondent quod citatio *legitime* peragitur quando normae iuris serventur: nihil ergo oportet addere.

Sed Rev.mus octavus Consultor instituit rem clarificatione indigere quia merito dubitari potest et quaestiones moveri possunt *de momento* quo citatio dici possit *legitime peracta*.

Rev.mus septimus Consultor censet istis difficultatibus subveniri posse dicendo « cum citatio legitime intimata fuerit ad normam can. 1717, etc....».

Propositio Rev.mus septimus Consultor placet Rev.mo octavo Consultori et etiam alii Consultores assensum praebent.

⁵ Rev.mus secundus Consultor hanc notulam expressit circa hanc canonem.

« Habeo difficultatem, utique verbalem et alicuius momenti: ex hoc canone sumpsimus criterion nempe quod in praecedentibus canonibus semper sermo sit de *partis conventae* citatione. At minus recte. Haec regula praesupponit distinctionem inter citationem partis conventae, de qua in praecedentibus canonibus et citationem aliarum personarum de qua in hoc canone. Atqui de citatione aliorum in hoc canone non est sermo, sed de aliis actis iudicialibus. Igitur opinor in praecedentibus canonibus sermonem debere fieri magis generaliter de citatione in genere, non tantum partis conventae ».

c) In n. 2º addatur « iudicis aut tribunalis competentis », vel, in fine eiusdem numeri, ponatur « ad normam can. 1568 » (Rev.mus tertius Consultor).

Consultoribus placet ut dicatur « iudicis aut tribunalis *ceteroquin competentis* », iuxta formulam melius a Rev.mo Relatore expolitam.

d) In n. 4º Rev.mus sextus Consultor proponit verbum « *suspenditur praescriptio* » loco « *interrumpitur* ».

Omnis assensum praebent.

Non autem assentiuntur Consultores Rev.mo octavo Consultori, qui vellet dicere expresse praescriptionem suspendi relate ad personam convenientiam tantum. Consultores, enim, preferunt relinquere hanc quaestionem doctrinae.

e) Rev.mi decimus et quintus Consultores proponunt ut post n. 4 ponatur novus numerus (et exinde actualis n. 5º fiet n. 6º) in quo recipiatur additio proposita a Ciprotti, scilicet: « possessor rei alienae desinit esse bonae fidei, ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a citationis die reddere debet, et damna sarcire ».⁶

Propositio placet omnibus Consultoribus.

Can. 1725

Rev.mus Relator proponit formulam can. 1725:

« Cum citatio legitime intimata fuerit ad norman can. 1717 aut partes coram iudice stiterint animo interveniendi in iudicio:

1º prout est;

2º causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;

3º prout est;

4º suspenditur praescriptio, nisi etc.;

5º uti in formula proposita a Ciprotti;

6º uti in n. 5º CIC».

⁶ Cf. P. CIPROTTI, *Observationes al testo del CIC*, Salamanca 1950, p. 82.

CAPUT II⁷*De litis contestatione**Can. 1726*

Rev.mus Relator introducit quaestionem de contestatione litis imprimis quaerendo sitne necessaria, ad litis contestationem, « formalis contradictio conventi » erga petitionem actoris « facta animo litigandi coram iudice ». In causis nullitatis matrimonii saepe conventus consentit petitioni at nullum animum habet dimicandi contra actorem.

In his casibus Rev.mus septimus Consultor proponit ut contestatio litis fiat a vinculi defensore.

Propositio Rev.mi septimi Consultoris non placet.

Consultores potius inclinant ne sermo fiat de animo litigandi coram iudice, eo vel magis quod, de sententia Rev.mi sexti Consultoris, iuxta classicos auctores, sufficit intentio obtinendi resolutionem *iudiciale*m quaestionei.

Imo Rev.mus quartus Consultor vellet supprimere totum caput de instantia litis cum tale institutum non vigeat in iure civili et ipsa tribunalia ecclesiastica, in praxi, se limitent ad illam phrasim « an constet de nullitate matrimonii N.N. » sine enunciatione obiecti iudicii.

Rev.mus sextus Consultor opponit Rev.mo quarto Consultori quod civilistae, e contra, saepe fatentur institutum contestationis litis maxime et clarissimo modo conferre ad delimitandun obiectum iudicii.

Rev.mi secundus et primus Consultores proponunt ut contestatio litis tendat ad determinandam materiam iudicii, praescindendo *ab animo conventi* obtinendi resolutionem iudiciale.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit, quae omnibus placet.

« Obiectum seu materia iudicii determinatur litis contestatione qua proponuntur controversiae termini iudicialiter definiendi ».

Can. 1727

Circa can. 1727 sequentes quaestiones proponuntur:

a) Rev.mus sextus Consultor proponit ut in contestatione litis convento legatur libellus actoris.

⁷ Iuxta novam divisionem, mutuatam a Codice Orientali, inscriptio est « Caput II » et non « Titulus VII ».

Propositio placet Consultoribus.

b) Ex quadam decisione S. R. Rotae (d. 10 augusti 1929, t. 21, p. 426) Rev.mus decimus Consultor proponit ut innuatur contestationi litis relate ad gradum appellationis, dicendo: «... sufficit in quocumque gradu, etc.».

c) Rev.mus quintus Consultor, in consonantia cum principio oralitatis processus, proponit: «... sufficit quod contradictio facta... ore vel scripto, in actis inseratur».

d) Rev.mi tertius, sextus et septimus Consultores censem inutile declarare expresse nullam sollemnitatem necessariam esse in litis contestatione facienda (cf. can. 249 Cod. Or.).

e) Rev.mus octavus Consultor: ponatur «oportet» loco «sufficit».

Rev.mus Relator proponit ut contestatio litis desinat in dubii concordatione, ne, ex canone sequenti, videatur dubia statui tantum in causis implicitoribus.

Collectis autem elementis ex variis propositionibus Consultorum, hanc formulam Rev.mus Relator proponit:

«Ad litis contestationem sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, libellus actoris perlegatur convento, huius responsio in actis inseratur, ac tandem dubium vel dubia concordentur quibus respondendum est in sententia».

Maiori Consultorum parti formula placet.

Can. 1728

Supprimatur quia quaestio de dubio concordando anticipata est in canone praecedenti. De concordatione ex officio agitur in canone sequenti.

Can. 1729

De hoc canone Rev.mus Relator dicit quod appareat valde contortus et implicatus, eo quod *vult simul agere* de concordatione dubiorum in casu contumaciae et de declaratione ac purgatione eiusdem contumaciae. Hoc alterum argumentum habet suam sedem (cann. 1842-1851), nec necesse est quod hic anticipetur in forma minus recta.

Aliae incongruentiae ostenduntur a Ciprotti⁸ et revocantur a Rev.mo decimo Consultore.

⁸ *Ibidem*, pp. 82-83.

His de causis, Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

« § 1. Si qua pars non compareat, dubiorum formula statuatur a iudice, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem absenti statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum formulam possit proponere.

§ 2. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, fit locus quaestioni incidenti.

§ 3. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis ».

Paragraphi 2^a et 3^a mutuatae sunt ex Codice Orientali (can. 251).
Omnes Consultores assensum praebent huic formulae.

Can. 1730

Rev.mus secundus Consultor proponit ut omittatur can. 1730, quia aliquando utilis est receptio testium aliarumve probationum antequam contestatio litis locum habuerit.

Alii Consultores consentiunt ut can. 1730 omittatur, sed dicunt in capite de examine testium considerandum esse num testes recipi possint ante contestationem litis.

Can. 1731

Consultores unanimiter proponunt ut tantum n. 2 huius canonis retineatur, mutatis tamen verbis « arbitrio suo » in « prudentia sua ».

Adunatio V^a die 25 octobris 1967 mane habita

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in fine capitis de contestatione litis novus canon ponatur qui dicat:

« In causis ubi obiectum litis iam per se ipsum perspicuum est hae formalitates omitti possunt ».

Rev.mus octavus Consultor censem schema canonum bene applicari posse in processu administrativo, non autem in contentioso.

Alii Consultores dissentirent ab acceptando hoc canone tamquam principio generali, sed Rev.mus septimus Consultor dicit illum esse contra can. 1726, qui praescribit actum aliquem substantialem, non formalem.

Tunc alii Consultores consentiunt propositioni Rev.mo septimo Consul- tori, quamvis censeant suggestionem Rev.mi quarti Consultoris pree oculis habendan esse in processu administrativo et in processu matrimoniali.

CAPUT III⁹

De litis instantia

Can. 1732

Quoad can. 1732 sequentes suggestiones habentur:

a) In Codice Orientali (can. 254) magna mutatio inducta est anticipando initium instantiae a litis contestatione ad citationem.

Aliqui Consultores proponunt ut hoc principium recipiatur in hoc Co- dice, quia per citationem iam relatio iuridica inter partes inducitur (Rev.mi tertius, sextus, octavus et quintus Consultores).

b) Rev.mus decimus Consultor, suggestionem Ciprotti secutus, proponit ut pars altera canonis, quae agit de modis quibus instantia finitur, aboleatur.

Et reapse, notat Rev.mus Relator, in hac parte, mere doctrinali, claritas non fulget, terminus adhibitus «iudicium» est sat aequivocus, et numeratio non est completa.

Rev.mus Relator ergo proponit ut can. 1732 ad haec tantum verba reducatur: «Instantiae initium fit citatione».

Propositio autem non placet Consultoribus, qui volunt ut de fine iudicii quoque aliquid statuatur.

Rev.mus tertius Consultor proponit: «... finis autem omnibus modis a iure praescriptis».

Rev.mus quartus Consultor: «Instantiae initium fit citatione; finis autem non solum pronunciatione sententiae definitivae, sed etiam aliis modis a iure praefinitis».

Haec ultima formula placet omnibus Consultoribus.

⁹ Iuxta novam divisionem, nutuatam a Codice Orientali, inscriptio est «Caput III» et non «Titulus VIII».

Can. 1733

De hoc canone mens Consultorum est ut maneat tamquam norma generalis, quae applicari deberet etiam causis de nullitate matrimonii, quas, e contra, nunc regit art. 222 Instr. *Provida Mater*, qui diversimode rem considerat. Quando Coetus hic de processu matrimoniali tractabit, rem attente considerabit.

Formula autem can. 1733, de communi consilio Consultorum ita emendatur:

« Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesseret ab officio cuius ratione agit:

1º Causa nondum conclusa, instantia suspenditur donec heres defuncti aut successor aut interesse habens litem prosequatur;

2º Causa conclusa, iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore ».

Can. 1734

Pro nunc supprimitur. Redactio novi canonis, si forte facienda sit, fiet postquam materia de beneficiis recognita sit.

Can. 1735

Canon agit de cessatione procuratoris vel curаторis.

Rev.mus sextus Consultor vellet quod hic casus regeretur iuxta schema canonis 1733, nempe cum effectibus diversis iuxta stadium causae (ante vel post conlusum in causa).

At Rev.mus Relator, et alii Consultores cum illo, hic semper necessariam censem interruptionem instantiae, quia deficiente curatore, deficit altera pars capax exercendi ius ideoque ipsa relatio processualis deficit.

Canon 1735, ergo, manet prout est, adhibito tamen verbo « suspensa » loco « interrupta ».

Can. 1736

Consultores fere omnes proponunt formulam Codicis Orientalis (can. 258), qua iam breviantur tempora, et aufertur illa relatio cum re iudicata, quae esset valde aequivoca relate ad causas de statu personarum. In formula autem Codicis Orientalis addenda sunt verba « ponatur *a partibus* »,

secundum propositionem Rev.mi sexti Consultoris ab omnibus Consultoribus acceptatam.

Rev.mus secundus Consultor optat ut inducatur aliquod remedium contra ignaviam iudicis et Consultores statuunt ut in can. 1620 addatur haec 2^a paragraphus:

«Si partes se gravatas putent a negligentia iudicis, recurrere semper possunt ad Ordinarium».

Idem Rev.mus secundus Consultor vellet ut determinaretur terminus, quo transacto quin iudex culpabiliter debitum actum processualem ponat, negligens habeatur.

Alii Consultores putant minime terminum posse statui quia, pro diversitate causarum, aliquando potest esse longissimus terminus unius mensis et aliquando potest esse brevissimus terminus sex mensium.

Rev.mus sextus Consultor praeterea vellet resolvare quaestionem num actus irritus sufficiat ad impediendam peremptionem. Ipse respondit affirmative et proponit ut in can. 1736 dicatur: «Si nullus actus, ne irritus quidem ... ponatur, etc.».

Sed alii Consultores volunt *ut iudex* non lex resolvat casum istum, si aliquando occurrat, ex circumstantiis peculiaribus et bona fide partis.

Adunatio VI^a
die 27 octobris 1967 mane habita

Can. 1737

Rev.mus Relator proponit ut servetur canon, adhibita tamen formula Codicis Orientalis (can. 259) et addito tantummodo verbo «curatores» post «tutores».

Rev.mus octavus Consultor petit ut praeter regressus ad indemnitatem concedatur etiam, si casus ferat, restitutio in integrum.

Propositiones Rev.morum Relatoris et octavi Consultoris placent Consultoribus ideoque formula can. 1737 sequens erit:

«Peremptio obtinet..., eaque ex officio etiam *declarari* debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, *curatores*, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint et concessa, si casus ferat, restitutione in integrum ad normam can. 1687».

Rev.mus secundus Consultor vellet ut diceretur «si culpabiles fuerint» loco «qui culpa se caruisse non probaverint» quia, dicit ipse, nemo praesumitur reus nisi probetur.

Rev.mi quartus et nonus Consultores e contra opponunt quod in casu debet applicari aliud principium, nempe quod, posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur.

Praeterea Rev.mus sextus Consultor proponit quod peremptio instantiae sit a iudice declaranda decreto vel sententia ad instantiam partium, vel, cum publice intersit, etiam ex officio, citatis partibus ut de absentia impedimenti constet. Peremptio enim, positis certis conditionibus, habetur ipso iure et iudex tantum illam *declarat*; quae declaratio tamen nota deberet fieri partibus.

Sententiae Rev.mi sexti Consultoris accedit Rev.mus nonus Consultor, qui notat peremptionem supponere negligentiam partium et ideo partes deberent imo audiri antequam peremptio declaretur, quia fortasse illae possent demonstrare se negligentes non fuisse.

Rev.mus septimus Consultor opponit quod si admitteretur hoc, caderent concessiones favorabiles canonis 1737 (... salvo iure regressus ad indemnitudinem ... et concessa restitutione in integrum ...).

Propositio Rev.morum sexti et noni Consultorum non placet Consultoribus.

Can. 1738

Servetur prout est. Ita omnes Consultores.

Rev.mus sextus Consultor vellet addere § 2 ad statuendum quod «perempta instantia in primo gradu, effectus de quibus in can. 1725, ipso iure extinguntur».

Propositio non placet Consultoribus.

Can. 1739

Placet immutatio litteralis suggesta a Ciprotti,¹⁰ id est: «Perempti iudicii expensas, quas quisque ex litigatoribus fecerit, ipse ferat».

Can. 1740

§ 1. Maneat prout est. Ita omnes Consultores.

¹⁰ *Ibidem*, p. 84.

§ 2. Rev.mus sextus Consultor proponit novam paragraphun quae dicat:

«Tutores et administratores personarum moralium, ut renuntiare possint instantiae, egent consilio vel consensu eorum quorum concursus requiritur ad ponendos actus qui ordinariae administrationis fines excedunt».

Propositio placet omnibus Consultoribus, excepto Rev.mo quarto Consultore, qui praeferret hanc paragraphum ponere in can. 1653.

§ 3. Hic ponatur § 2 veteris can. 1740, recipiendo tamen formulam Codicis Orientalis (can. 262, § 2). Ita omnes Consultores.

Rev.mus octavus Consultor vellet ut renuntiatio instantiae communitetur etiam promotori iustitiae, praeter partem.

Sed Rev.mus Relator meminit hoc iam provisum esse per canonem 1587 bis.

Can. 1741

Recipiatur formula Codicis Orientalis (can. 263).

Ita omnes Consultores.

CAPUT IV

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis

Can. 1742

§ 1. Rev.mus primus Consultor notat quod in Statibus Foederatis (USA) iudices civiles numquam interrogant partes. Munus interrogandi pertinet ad advocatos. Ideoque Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur quod interrogations fient secundum normas a Conferentiis episcopalis vel a legibus particularibus statutas.

Huic propositioni accedunt Rev.mi secundus, tertius et octavus Consultores.

Sed Rev.mus Relator notat locum proprium huius quaestiones esse in can. 1773.

Rev.mus Relator proponit ut paragraphus l^a maneat prout est.

Rev.mus quartus Consultor assentitur Rev.mo Relatori sed vellet expungere verba «quod publice interest», ita ut partes semper interrogari debeant a iudice ut melius eorum iura tueantur.

Deinde surgit aliqua discussio inter Consultores praecise circa partium iurium tuitionem et in fine, communi consilio, paragraphus 1^a hoc modo redigitur:

«Ad facti veritatem aptius eruendam et ad singulorum iura tuenda, partes debent in iudicio interrogari».

Rev.mus secundus Consultor proponit paragraphum 2^{am} hoc modo:

«Interrogationes fieri debent a iudice nisi iure particulari aliter caveatur».

Rev.mus sextus Consultor censet hanc 2^{am} paragraphum contradicere canonii 1619, sed Rev.mus septimus Consultor hoc negat cum finis praesentis canonis 1742 tendat ad veritatem facti eruendam, minime vero ad supplendas probationes partium.

Propositio Rev.mi secundi Consultoris placet omnibus Consultoribus.

§ 3. Deleatur. Ita omnes Consultores.

Can. 1743

§ 1. Rev.mus Relator proponit hanc formulam, quae omnibus placet:

«Partes legitime interrogatae debent respondere et veritatem fateri, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut paragraphos 2 et 3 contrahantur ad haec tantum verba: «pars, si mendax reperta fuerit, puniatur», hoc modo totam quaestionem ad ius poenale remittendo.

Aliis Consultoribus non placet propositio Rev.mi quarti Consultoris et quaestio differtur ut denuo tractetur postquam in iure poenali provisum sit de poenis in specie.

Can. 1744

Sumitur formula can. 266 § 1 Codicis Orientalis ut basis discussionis.

Consultores optant ut necessitas iuramenti reducatur quantum possibile sit.

Immo Rev.mus primus Consultor dicit partes interrogandas esse num iuramentum praestare velint.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«Quoties bonum publicum in causa est, iudex iuramentum de veritate dicenda debet partibus proponere; in aliis, potest pro sua prudentia».

Can. 1745

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon deleatur.

Alii Consultores vero censem canonem servandum esse adhibita tamen formula Codicis Orientalis (can.167).

Can. 1746

Canon servandus prout est, sed, consequenter ad can. 1742 § 2, in fine addenda sunt verba: « salvis iuribus particularibus ». Ita omnes Consultores.

Adunatio VII^a
die 27 octobris 1967 vespere habita

In hac ultima adunatione tractatur ex professo quaestio praeiudicialis proposita ab Rev.mis primo et secundo Consultoribus de interrumpendo actuali examine Libri IV de processibus, ita ut statim tractentur processus particulares, nempe matrimonialis, administrativus, etc.

Rev.mus Secretarius Commissionis, exponit rationes propter quas opportuna videtur prosecutio actualis examinis Libri IV, inter quas illa consideratio practica eminet quod, cum alii Coetus nostrae Commissionis intenti sint ad recognoscenda vel condenda iura substantiva, bene est ut interea Coetus hic normas generales de processibus recognoscat. Quando labores aliorum Coetuum sufficienter progressi fuerint, nobis facilior erit condere vel recognoscere ius adiectivum processuale, in unaquaque categoria processuum, sive iudicialium sive administrativorum.

Singuli Consultores evolvunt suam sententiam.

Rev.mi primus, secundus et octavus Consultores instant pro interrumpendo actuali examine; Rev.mi Relator, tertius, decimus, quintus et septimus Consultores stant pro proseguendo actuali examine. Alii Consultores, etiamsi putent actuale examen prosequendum esse, tamen censem rem profundius considerandam fore.

Habetur manifestatio sententiae placeatne interrumpere actuale examen:

3 placet interrumpere

7 non placet interrumpere

1 se abstinet a sententia ferenda.

Rev.mus Secretarius petit ut Consultores rem attente velint considerare utque ante diem 28 novembris 1967 Secretariae Commissionis votum scriptum de hac re mittere dignentur.

Rev.mus Secretarius dicit se hanc quaestionem relaturum Em.mo Praesidi Commissione.

Em.mus Praeses, audita relatione verbali Rev.mi Secretarii et votis habitis Consultorum circa hanc quaestionem, statuit ut, in proxima Sessione mensis februarii 1968, relatio fiat de votis Consultorum et ulterius discussio fiat ad rem decernendam.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

PARS II — DE IUDICIO CONTENTIOSO

SECTIO I

De iudicio contentioso in genere

CAPUT I

De causae introductione

Art. 1

De libello litis introductorio

Can. 1706

Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum, proposita sit ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae.

Can. 1706 bis

Qui aliquem convenire vult debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura consequenda expostuletur.

Can. 1707

§ 1. Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, ore petitionem suam coram tribunali proponere potest.

§ 2. Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propere cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio ore sibi factae.

§ 3. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.

Can. 1708

Libellus quo lis introducitur debet:

1º Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur;

2º Indicare, summatim saltem et concinne, quibus argumentis innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3º Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

Can. 1709

§ 1. Iudex unicus vel tribunal collegiale, iuxta diversitatem causarum, postquam viderit et rem esse suaे competentiae et actori legitimam personam in iudicio non deesse, debet suo decreto quamprimum, et numquam ultra mensem libellum aut admittere aut reicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad tribunal appellationis; a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

Can. 1710

Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel reicit ad normam can. 1709, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, rem deferre poterit tribunali appellationis quod competens fit ad iudicandum de acceptatione libelli.

ART. II

De citatione et denuntiatione actuum iudicialium

Can. 1711

§ 1. Libello vel orali petitione admissa, locus est quamprimum vocatio-
ni in iudicium seu citationi alterius partis.

§ 2. Quod si partes litigantes de facto coram iudice se sistant ad causam
agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes iu-
dicio adfuisse.

Can. 1712

§ 1. Vocatio in iudicium fit decreto iudicis, quo disponit ut conventus
coram tribunali compareat ad litem contestandam, designatis tempore et
loco comparitionis.

§ 2. Debet insuper actori, aliisque qui in causa intervenire debent nota-
fieri, ut statuta die et hora ipsi quoque coram iudice se sistant.

Can. 1713

Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel
liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatio denuntian-
da est, prout casus ferat, tutori, curatori, procuratori speciali, seu ei qui
ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris.

Can. 1714

Quaelibet citatio per se est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in
casu de quo in can. 1845 § 2. Iudicis tamen prudentiae relinquitur eam iterare.

Can. 1715

§ 1. Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti
conventae factum ad comparendum exprimat, indicans a quo iudice, ob
quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomi-

ne et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.

§ 2. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.

Can. 1716

Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur parti conventae, altera asservetur in actis.

Can. 1717.

§ 1. Citationis scheda denuntianda est per Curiae cursorem vel per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.

§ 2. Receptae citationis documentum servetur in actis.

Can. 1718

Conventus qui citatoriam schedam recipere recuset, vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat, legitime citatus habeatur.

Cann. 1719-1722

Deleantur.

Can. 1723

Si scheda citatoria non fuerit legitime intimata ad normam can. 1717, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus. Ast quilibet defectus citationis sanatur per comparitionem partis, factam animo interveniendi in iudicio.

Can. 1724

Regulae superius statutae pro conventi citatione, ceteris quoque iudicij actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.

Can. 1725

Cum citatio legitime intimata fuerit ad normam can. 1717 aut partes coram iudice stiterint animo interveniendi in iudicio:

- 1° Res desinit esse integra;
- 2° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;
- 3° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non expiret resoluto iure delegantis;
- 4° Suspenditur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508;
- 5° Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a citationis die reddere debet, et damna sarcire;
- 6° Lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium: *lite pendente, nihil innovetur.*

CAPUT II

De litis contestatione

Can. 1726

Obiectum seu materia iudicii determinatur litis contestatione qua proponuntur controversiae termini iudicialiter definiendi.

Can. 1727.

Ad litis contestationem sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, libellus actoris perlegatur convento, huius responsio in actis inseratur, ac tandem dubium vel dubia concordentur quibus respondendum est in sententia.

Can. 1728

Supprimitur.

Can. 1729

§ 1. Si qua pars non compareat, dubiorum formula statuatur a iudice, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem absenti statim id no-

turn fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum formulam possit proponere.

§ 2. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, fit locus quaestioni incidenti.

§ 3. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis.

Can. 1730

Omittatur.

Can. 1731

Lite contestata, iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, prudenter sua prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur.

CAPUT III

De litis instantia

Can. 1732

Instantiae initium fit citatione; finis autem non solum pronunciatione sententiae definitivae, sed etiam aliis modis a iure praefinitis.

Can. 1733

Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesseret ab officio cuius ratione agit:

1º Causa nondum conclusa, instantia suspenditur donec heres defuncti aut successor aut interesse habens litem prosequatur;

2º Causa conclusa, iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

Can. 1734

Pro nunc supprimitur.

Can. 1735

Procuratore aut curatore a munere cessante, tamdiu suspensa manet instantia, quamdiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut per se ipsi in posterum agere se velle professi fuerint.

Can. 1736

Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur a partibus in tribunali primae instantiae per annum aut in gradu appellationis per sex menses, instantia perimitur.

Can. 1737

Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliasve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam declarari debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, curatores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint et concessa, si casus ferat, restitutione in integrum ad normam can. 1687.

Can. 1738

Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtainent nisi documentorum.

Can. 1739

Perempti iudicii expensas, quas quisque ex litigatoribus fecerit, ipse ferat.

Can. 1740

§ 1. In quolibet statu et gradu iudicij potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Tutores et administratores personarum moralium, ut renuntiare possint instantiae, egent consilio vel consensu eorum quorum concursus requiritur ad ponendos actus qui ordinariae administrationes fines excedunt.

§ 3. Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.

Can. 1741

Renuntiatio a iudice admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae; et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.

CAPUT IV

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis

Can. 1742

§ 1. Ad facti veritatem aptius eruendam et ad singulorum iura tuenda, partes debent in iudicio interrogari.

§ 2. Interrogationes fieri debent a iudice, nisi iure particulari aliter caveatur.

Can. 1743

§ 1. Partes legitime interrogatae debent respondere et veritatem fateri, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.

§ 2. Recognitio dilata est.

§ 3. Recognitio dilata est.

Can. 1744

Quoties bonum publicum in causa est, iudex iuramentum de veritate dicenda debet partibus proponere; in aliis, potest pro sua prudentia.

Can. 1745

§ 1. Tum actor tum reus, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur.

§ 2. In his articulis exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur quae in cann. 1773-1781 statutae sunt.

Can. 1746

Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 1770 § 2, nn. 1-2, salvis iuribus particularibus.

